221287


Biblioteka Jagiellońska
stdr0021760

121

FONS
IN ÆSTU MARTIS ET SOLIS
Arescenti Sarmatiæ in refrigerium,
SCATURIENS.
D. SIMON
DE
LIPNICA,


Recurrente Annua suæ Festivitatis luce
In Conventu Stradomiensi
Ordinis Minorum S. FRANCISCI,
Regularis Observantiæ PP. Bernardinorum,
Oratoriô Stylô
PER
PETRUM CASIMIRUM GOSZKOWSKI,
In Alma Universitate Cracoviensi AA. LL. & Philosophiæ Baccalaureum.

PRÆSENTATUS.

Annô quô FONS inexhaustus in Mare
Gratiarum MARIAM influxit
MDCCXVI. 18. Julij.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustrissimi & Rndissimi Dni Episcopi Crac. Ducis Severiæ, necnon Scholarum Novodvorscianarum Chalcographi.

IN STEMMA ILLVSTRISSIMÆ WODZICCIORUM DOMUS.



Cornua fert ſurſum magno cum lumine LVNA,
  Vt ſic cæleſti figat in orbe gradum.
Cui ſi rorantem STELLAM miraris adeſſe;
  Hæc Lechico cælo SYDERA magna parit,
In lucem Veſtram radios effudit Olympus,
  Vt Domus eniteat, præbuit omne decus.

PERILLUSTRI ET REVERENDISSIMO DOMINO,

D. MICHAELI
DE GRANOW
WODZICKI,

Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis, Collegiatæ Sandomiriensis CANONICO, Łęczycensis SCHOLASTICO, &c. Mecænati Amplissimo.



On potuit Oratoris Genius perfectiùs Gentilitia Tua Orbis Nostri Sydera venerari, quàm in FONTE Divinissimo SIMONE. Perillustris & Reverendissime Domine. *Tantis enim Majorum Tuorum coruscant fulgentq; Ceris, quantæ etiam non degenerum Aquilæ Sarmaticæ pullorum perstringunt oculos. Hic verò scrutatricem audaciùs feret pupillam, dum umbram illorum in profundo FONTIS purissimi mirabitur, nullasq; ecclypses Avitæ* Lunæ *notabit, nam hæc sine nube, præcedit semper claræ minores faces, & non ultimam in nostro Hemisphærio tenet sphæram. Supremi enim Honores suam demittunt altitudinem, ut in maximo crescentem gradu contemplentur. Ipsum ortum hujus* Syderis, *intra*

 pleni-

plenitudinem luminis intuentur. Lustrent lyncei oculi innatos ILLVSTRIS ac MAGNIFICI GENITORIS TVI, POCILLATORIS olim Varſavienſis, ſummarum dotum ſplendores, qui priùs illos cæcutire facient, quàm totum jubar in ſe videri poterit. Huic enim, quod aliis largus cælorum influxus diviſim tribuit, id totum per congeriem obtulit faventiſſimè. Ex eo iterum Orbi Lechico pingere poſſet Plato Virum, cujus vertici inſideret prudentia, oculos animaret vigilantia, ſupercilia temperaret clementia, vultum componeret affabilitas, dextram armaret juſtitia, ſiniſtram impleret conſilium, cor accenderet pietas, pedes duĉtaret felicitas, virtus omnis in paludamento radiaret. Unus ille extitiſſe videbatur, qui ex aſſe cunctas virtutes complexus erat. Certè ab aureo ſæculo diceres Virum in Republica, & cenſeres in annullo adamantem, in floribus lilium, in cælo Solem, inter Heroës Achillem ſtrenuiſſimum. Nec ſilentio præterire Illuſtrem, Magnificã ANNAM Genitricem Tuam fas eſt. Cujus virilis animus, & Virtutum pulcherrima corona ſuperſtitem in memoria Poſteritatis agit vitam. Verè ANNAM dixerim, ex cujus gratioſo ſinu Pactolus munificentiæ ſemper manabat. Si profuſas in Ædes Divinas ſpectes opes, quidquid in illis eſt, horum pars maxima illius ſplendeſcit liberalitate & favore. Et ſi Principum gratiam ſpectâſſes, Æſtheram vidiſſes, cujus patrociniô tot miſeri ſublevati, tot calamitoſi meliori ſorti redditi. Nec degeneres progenerant Aquilæ columbas. Ex Philippo & Olympia non alium naſci & noſci decuit Filium, præter Alexandrum. Quatuor Orbi Lechico Vos Athlantes dedit, ut ejuſdem cardines meliùs firmaret. Adeſt primum labentis Reipublicæ Noſtræ fulcrum, Illuſtris ac Magnificus CASIMIRVS Pocillator Varſaviẽſis, qui cùm ſit ſucceſſor Parentalium Virtutũ, Honorum etiam eſſe debet. Cujus ſi magnum CASIMIRI miraris Nomen; mireris non minores virtutes. Vir ſagô togâq; clarus, pacis oleas cum Martis palmis connectit. Hunc ſequitur per Gradivi Arenam, Illuſtris ac Magnificus PETRVS Colonellus Exercitûs Regni, certè ad fortia natus; qui cùm ſit petra inconcuſſum in agmina hoſtilia profert pectus. Nullus illô in acie bellicoſior Ajax. Par eſt cunctatori Fabio, qui conſilio novit ſiſtere

ſtere ingruentia fata, ſuperat Pœnorum Annibalei, Patriæ defenſor acerrimus; ut jam liquido conſtet in ſinu Gentilitiæ WODZICCIORVM Lunæ *Martem ipſum radiare. Eminet tandem magna* JOANNIS Pocillatoridæ Varſavienſis *prudentia. Cujus non ſolùm Nomen ſpirat gratias, ſed ijſdem illum Lucina enutrivit. Huius Tullii eruditam ſi quis voluerit audire ſuadam, Palladem loquentem adorabit; agit & Præcurſorem in pulcherrimo Virtutum gradu. Hinc Tuas* Perilluſtris & Reverendiſsime Domine, *dum veneror virtutum animiq́ dotes, certè me in copia encomiorum Tuorum inopem eſſe agnoſco; ſed dum meæ ſorti Fax Tua prælucet, ſecurumq́ tot inter anguſti temporis calamitates monſtrat iter, viles in Tui Laudem greſſus moveo.* Iam *mare immenſum in puſillam profundæ venerationis foveam exhaurire intendo. Si excelſum Tuum miror ingenium, Palladis credo Gazophylacium, ex quo quidquid egreditur, vel miraculum eſt, vel oraculum. En aſtris fermè inferens cacumen Sacer Vavellus, informam* Syderei *abire cæli probatur; dum clarâ & carâ* WODZICCIORVM *LVNA adornatur. Vbi Supremum* ŁVBIENIVM CAPVT, *dum ter geminas tenet Coronas, bis* Cynthiam *Tuam circumdat, ut Eccleſiæ DEI lumen coronet. Extra ſtuporem Orbis, ad mentē Aurei* CAPITIS *Tua Avita volvi* Sydera; *nam hoc* CAPVT *totum quod cogitat, altum eſt. Voluit quidem Religio* BENEDICTI *Togata inter ſui Cænobii umbras ſplendores Tuos Abbatiali Infulâ auctos venerari; ſed dum altiorem Honorum ſphæram ſcanſuros videt, profuſiores ab illis ſperat ſibi influentias. Ad ſummi enim Honoris ſtaturam & ſtatheram Tua deſideratur Perſona, quæ cùm ſit Virtutum ſedes, comitem ſemper facit ſibi gloriam. Pietas & ardens Honoris Divini zelus in præliante MICHAELE ad plauſum Eccleſiæ reſplendet. Si liberalitas profuſa in ſacros uſus & opem egentûm ſpectetur, tanta eſt, quantam mens ſemper generoſa exhibet & ampla fortuna adorat. Æſtimavit* Sydereæ *Domûs Veſtræ gemmea pretia* PRZEREMBSCIORVM *Familia, & claro ſangvinis nexu eidem colligari voluit, dum Phæben alteram, vel rutilantem Cynthiæ radium Germanam Veſtram ad ſuos ſplendores tranſtulit. Sit aliis volubilis &*

 fugax

fugax Fortuna, in Vestra Domo constantem posuit stationem; quia non tam suo globo, quàm sydereo insistit. Iret ultra in laudem Vestram curiosior pupilla; ast dum LEONEM cum Sceptro super astra videt, nimio perculsa timore, illi in victimam cadit. Namq; Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni, cùm in profundissima veneratione audet mirari, cur tam alta sydera superavit. Solem credo in LEONE, ergo Illustrissima WODZICCIORVM Familia, quocunque loco suum circumfert nomen vel cælum reperit, vel esse facit. Unde jam in gratulatorios assurgit plausus FONS in æstu Divinissimus SIMON: nam dum Cælo Vestro dicatur, in Eridanum transmutabitur. Et pro hoc in se favore Syderum Vestrorum in augem dignitatum motricem illum futurum credite intelligentiam. Procul hinc Ægyptiorum picturæ, ævum per lunam exprimentes, eò quod cùm jam defecisse videatur, nova iterum exoritur. Hæc Cynthia in ævum durabit, dum nullas novit mutare vices. Quare crescant hæc Sydera in immensum Gloriæ Tuæ Perillustris & Reverendissime Domine, nullam patiantur ecclypsim, idque hucusque; donec totum impleant Orbem. Ita precatur

MAGNO TUO NOMINI

Venerabundus Cliens,
&
humillimus servus
Author Operis.

O R A.



ORATIO.

FErvida ab ipsis ferme vastæ telluris primordijs sitis, syrio enutrita æstu, nullo humiditatis influxu satiabilis est. AA. Pusillus adhuc & ab ubere pendens, Parentis omnium terræ primarius fætus homo, vix primam adoravit lucem, mox vesana regnandi cupidine cæcus, in tantos exarsit æstus, quantos Paradisi malum, ultro debuit mitigâsse. Fæcundum ultra præbet partum, ast cum ipso & orexim fæcundissimam; dum profusa Omnipotentis qui divisit aquas ab aquis non satiata ope, fraternum Abelis bibit sangvinem. Quô visô Divinus oculus, tamdiu cælos supra humum flere fecit, quamdiu illius effrenatam sitim non exstingveret. Quid ad hoc Helluo atrocissimus, Danaidum verum dolium, rotunda terræ figura? licet velut pila Catharactarum huc, illuc agitata undis, agit Tantalum, dum plus sitibunda observata. Immo formam Vesuvij ferentem scrutator videbit animus, en sulfureum halat ignem, Sodomam absorptura. Timens tandem, ne senio confecta, sterilis è vita cedat, Vulcaniam progenerat pubem; cujus si Nomina vultis, Mars & Cupido Filij, quorum primo, utpotè primogenito Marti, jus naturale hæreditariumq; concessit, ut semper alienum sitiat cruorem. Et non degenerem agnovit, nam quidquid ex Heroum pectoribus, durô extorquet ferrô, id totum cruentis cruentatisq; bibit faucibus; & ad nativum ignem ferrea miseris mortalibus cudit sæcula. Cujus dolendæ & lachrymis delendæ spectaculum scenæ, indies augeri Nostræ Patriæ observatur. Huc, huc singultus Sarmatici, huc copiosi lachrymarum torrentes, Marti impio

ejusq; siti, totos alveos propinate. Et adhuc lachrymas tenes dolor? erumpe tandẽ ex ore, ex oculis & è mæsto pectore, naufragiũ illi paraturus. Sed ad ossa loquor arida, dum bino æstu fatigatã Sarmatiã humido radicali carentem video. Vertit suos in illã perpendiculares radios Princeps Planetarũ Titan, qui quamvis principium lucis dicatur, finem illi imponere curat, dum tot gravissimos morbos, febres, aliasq; vitæ insidias nimio causat æstu. Quô nunc lassata tantis calamitatum ardoribus membra, vertes misera Polonia? Si ab Avita magnarum alarum speras Aquila, hanc pro alis, malis stipatam, per tesqua reptantem advertes. Et quæ olim dormientem sub cælo Jovem, à Solis protexit ardoribus, nunc ipsa protectionem petit. Ad Seraphicas FRANCISCI tende alas, si repulsam times? expansas illius manus in Tui amplexum intuere; si inquietam sub umbra illarum moram speras? stipulatam cum cælo manum in fædûs amoris perscrutare; Si ante aditum lapsum expavescis? paratissimas in levamen habes dextras; si deniq; nimis fatigatas sentis Vires Tuas, nec refocillandas ominaris? Adest Divinissimus SIMON de LIPNICA, qui cùm sit immensus miraculorum Oceanus, à me; FONS in æstu Martis & Solis arescenti Sarmatiæ in refrigerium scaturiens proclamabitur. Permittes Divinissime SIMON, incultæ & turbidæ sermonis svadæ FONTEM Te venerari; Tantùm pusillam sitienti lingvæ mitte guttam, aut abundè fac prosilire Gratiæ Tuæ fluctûs, ne Oratio errorum oneraria in littore contabescat. Vos verò AA. si susurrantes hujus FONTIS vultis audire latices, Syrenes non timete profunda exposcit demissio.

Rapidos Fontium vagosq; cursus, curiosâ investigare pupillâ Icarium munus & periculum est. Firment hanc fidem subtilissimi Stagiritæ, qui antequam recurvos Meandros, tortuosos Euripos capiant, in profundum capiuntur. Unde Entheo quærenti ortum D. FONTIS grandis incumbit moles, dum inter inconcussas rupes grandiaq; Alpium juga investigandus. Hæc enim acutô deberent penetrari stylô, aut miraculosâ Moysis percuti stipulâ, ut ex illis Fons erumpat. Sed jam evasimus

scyllas

ſcyllas, dum non in Montanis, aſt ſub illis eſt repertus. Conſulto naturæ nutu terra egit, quòd in fæcundo Fontes clauſit utero, nam ſi hos viſendos ſæpiùs intellectui humano exponeret, eosq; extolleret ſurſum, levi pretio damnarentur. Tanto Honore D. FONTEM proſecuta, utq; illius valorem Vniverſo oſtenderet, in ſubmontanis illum occultavit. Felix Oppidum LIPNICA quod tantas ſervâſti opes, miſeriæ noſtræ profuturas. Non alta petiit FONS D. ex mediocri Proſapia ſuum duxit ortum, ſciens perbelle, ideò ſæpè tumeſcentes excelſi Sangvinis fluxus, in immenſum creſcere, ut vitiorum limo miſceantur. Minimus FONS in ortu D. SIMON, nam hi parvi ſunt ubi incipiunt ſcaturire, & maximi ubi finiuntur. Cui primam Lucina accendens facem, vix illum Sacro Baptiſmatis Fonte abluit, ſtatim nomen SIMON, hoc eſt omnis ſeu amnis eſt adeptus. Præcurrit Fontis nomen SIMON, nam ſubitò magnus erupit. Quem minimum adhuc mirantur magnæ virtutes, & ad puſillum Giganteo paſſu accelerant, volenteſq; forſan pulchriores mutari in formas, dum illum invadunt, augent & augentur. Excedit FONS D. cunas, ſed non tam puerilibus lachrymis, quàm virtute. In primo quondam Fontium exordio ſpiritus Domini ſuper aquas ferebatur, nunc in hoc FONTE fixit ſtationem; cùm puſillo SIMON ore, hoc ſpirat quod Divinum. Cautè Nobiliſsimi virtute SIMONIS Parentes, non diu latentem FONTEM intra domeſticos lares conſervate, ne aliquam conſiſtens in uno immobilis loco noxam contrahat. Ad Caſtalios Fontes FONS D. Tuos extende rivulos, hinc & Virtus Tua unita & munita ſapientiâ fortior prodibit; & pulchritudinem ſuam comprobabit. Paratiſsimi utpotè ad omnem perfectionis gradum SIMONIS greſſus tendentes; nam is copioſa omnis ſanctitatis ornatus oneratuſq; dote, velut Nilus ſeptem oſtijs, ſeptem milliaribus, in Mare ſcientiarum, Perfectionis pelagum, Vniverſitatem Noſtram Academicam influxit. Et benè non potuit meliore niti fortunâ Aureus Iagellonis Manipulus, quàm dum intra limites ſuos FONTEM D. veneratur, omnem ab illo vigorem in ævum percepturus. Quos cùm Gracius Apollo cum Muſis felices

lices audit rumores, audet illum intueri, & dum illimem puritatem obſervat, ſuamq; in illo faciem repræſentari, extra ſensûs rapitur, putans Divinum eſſe miraculum & oraculum. Cui Doctæ annuentes Muſæ, jucundiores in illo ſuas formas, velut in ſpeculo adorantes, Palladi nuntiant, ut quantocitiùs cum ſuis acceleret Corymbis. Et adeſt quàm citiſſimo Athalantæ paſſu, nimiamq; illius admirata pulchritudinem, laureatum Doctorali donat annulo, ut fæderatâ cum illo poſſit gaudere amicitiâ. Gratulor Tibi Doctarum Parens mentium Academia, quòd FONTEM D. velut Xerxes Heleſpontum aureo conſtrinxiſti monili, ſcias ſemper Tibi Tuisq; laureis vigorem prolaturum. Nullas in Capulari ſenio time maculas, quas & ſi Tibi invida aliquãdo vellet imprimere manus, hujus FONTIS patrociniò abluentur. Sed non diu intra Tuos moraturum crede lares, cujus ſi ſeriam quæris cauſam, Tuam monſtras culpam; annulum in manus SIMONIS dediſti, qui putans volubilem fortunæ rotam eam clavo Religionis affigere ſtatuit. O! felix inſigne, quòd alta Honorum ſubſellia uni Cyphræ comparâſti. Quid ad tantos blandientis ſibi fortunæ riſus D. SIMON? en ne intaminatam ambitionis athomo maculet indolem, profundiſſimam humilitatis abyſſum Thaumaturgi Patris FRANCISCI petit Religionem. Et juſte: Seraphicus hujus Familiæ amor, igne cæleſti ardens nimio, non potuit meliùs temperari quàm Fonte indeficiente. Abſit frigidum SIMONEM nominare, nam ardentem intus naturam oſtendit. Ex temperamento humidi & calidi gemmas generari non paradoxum eſt; tunc calor tribuendus FONTI D. dum in Gangem tranſmutatum adverto, trinam in ſe Profeſſionis gẽmã amplectentẽ. Sed quid agis SIMON D. gemmas ſervas paupertatis FRANCISCI oblitus? Dives in paupertate SIMON, fatetur illas habere, ſed adhuc illis Cleopatræ digniores, nam valorem Regni cæleſtis adæquantes. Tantis in dies Divinis creſcens FONS D. donis, non ad alium finẽ niſi fontibus debitum tendit, quia ad mare Gratiarũ MARIAM, cui dum ſe totũ dedicat, pedes illius, ultimum ſuæ felicitatis terminum eſſe putat. Largos fundit lachrymarum torrentes, ut Fontis nomen non excludat.

Ad quid tanti ſparguntur latices! ſi aliquas Tibi vitiorũ agnoſces maculas nullas in Te ipſa etiam Averni atrocitas adnotavit. Si alienas delere cupis? jam Te FONTEM Caſtiſſimũ comprobâſti. Non invidemus Siculis frigiditatẽ undis, aut glacialem Siciliæ pontum, qui ut Syrios vincat æſtus, per antra profunditatis immenſæ pervagatur. Adeſt nobis FONS D. qui ut refrigerium æſtuantibus pectoribus ferre poſſit, ferventiſſimũ intus Divinũ ſentiens calorẽ, in foveam proprijs effoſſam viribus ſe ſe demittit. Trahe FONS Caſtiſſime Scrutatorem excelſi Operis Tui oculum, nil niſi ebullientes ſangvinolentas mortificationis advertet guttas, quæ fatigato pro genere humano Herculi, Chriſto propinantur. Si verò vermes putridos inter puriſſima videbit membra, judicet FONTIS myſterium & naturam. Non ſimplices nutrit; bombices Indicos crediderim, purpuram illi ex emiſſis nitido de pectore filis, ad cæleſtem thronum contexentes. Bibunt Corpus SIMONIS culices, Sangvinem continuo elicientes morſu & punctura, ut malignantis mundi extingvant ſitim. Haurit ſub ſpecie mordacis hirudinis mundus FONTEM D. ſed proh dolor! morti ſuæ alimenta miniſtrat. Quouſq; tam crudeles patieris morſus? Sat ſufficientem innocui potatrix Sangvinis terra, ejuſq; Lixæ ex Te potum hauſêre, jam in Corpore delicatiſſimo claude hiatûs? abſit hoc reſpondet liberalitas juncta patientiæ; In altum hinc aſſurgit montem, ut ab omnibus ſitientibus tanquam ex Nilo hauriatur. Et quot Pſalmos pænitentiales recitat, tot cruentos lachrymis permiſtos latices, ferrea excutiunt flagella. Non hîc terminũ inexhauſto FONTI aſſignate, jam illum vilis calamus & profundæ Venerationis Panegyris inter Saracenos & limites extraneos deprehendit. O! miram inauditamq; Sympathiam in Fonte, ſitis maxima; totum ardentem malitiâ frigefacere Orbem. Nec mirum monſtrat Exoticis ſuum vigorem Gentibus, ut cæci impia barbarie illorum oculi eluantur. Sterilem certè vidit glebam nec ullum cælo ferentem fructum, ideo ad irrigandam accelerat quantocyùs. Sine veræ fidei fluentis in arido Paganorum hæſerat Argo, accurrunt Fontis uberrimi fluctûs, ut bonis avibus afflante Chriſtianæ doctrinæ Favonio

 æternæ

æternæ felicitatis attingant portum, dulceq; occinant Celeusma. Maximũ tamẽ erat illius intẽtũ peregrinos lustrare colles Hierusalem, ut meatûs FONTIS inexhausti Christi quibus redemptio generi humano influxit, proprio sangvine renovaret, & id executus, cum omnes lachrymis perfudit, nonnisi hôc defecisse visus, quod sangvine non abluerit, ast non Martyrio voluntas, sed voluntati Martyrium defuisse arbitremini. Et quia ubi ad suos cursus Fontes extolluntur, ibi illos natura finiri jussit. Jam reducem D. FONTEM ad Nos salutate, cujus si mutatam putatis sanctitatis dulcedinẽ, nectaream sentietis: en vix exoptato communi susceptus, in Religiosa Corona voto, statim Superior proclamatur. Quid agitis Patres Sapientissimi, cùm hunc præesse jussistis, cujus humilitas & natura petit infima; jam vestra recondita arcana capiuntur. Prævidit Domina paupertas Seraphica Sacræ eruditionis Lymphas in FONTE D unde sub illo Præside nullam horret sitim. Et jam omnia habet in SIMONE, cujus admonitionem sæpissimam dum deprimit humilitas, extollit Sanctitas & doctrina. *Non sis Prælatus, non sis medicus, non sis coquus.* Jam Tibi in debitam assurgit Religiosa inopia Hecatomben, non exigit plura, & dum illam ab his excludis muneribus & officijs, Tuo Nomini hæc omnia consecravit. Tunc jam domesticos alendo cælesti ferme influxu Patres, & in multos negotiorum divisus torrentes, aliorum sitim non reficiet? absit; en ex istius S. Tullij lingva nimio promovendi Divini cultûs ardente æstu tria salubris informationis Verba: *Ora, Labora, Despera,* velut scaturientes bibit guttas, & tantum sensit refrigerium, ut ardentia populi igne fatuo corda, toto officij sui cursu refecerit copiosè. Absint fatidici Sardiniæ Fontes, quorum haustâ Lymphâ lux fabulosa assertione recipi fertur. Noster FONS Sacer, plus addit lucis, dum Cimmerias ignorantiæ & imperfectionis pellit um[illegible] Habeat stulta Phrygia insipientes undas, quas si quis b[illegible] hauriret simul cum illis & furorem; FONTIS Nostri unda[illegible]n insanientibus animis fiunt Medicina. Vtq; causâsset sui in Novitijs desiderium, ignem adferre candentem jubet, illorum virtutem, velut aurum in igne

com.

comprobando. State ſecuro pede Juvenes Dilectiſſimi, Babilonicos cenſete carbones, qui uberrimo Fontis hujus affluxu, in roſas ſuccreſcentes mutabuntur; ſi naturale infertis dubium, mox contraria naturæ facietis, tantùm juſſa ſequi SIMONIS tam velle quàm poſſe ſit neceſſe. Herbas quæ rupta tellure cacumina tollunt violento plantate modo radices ſurſum extollentes, & forſan miraculoſum putatis Opus, credite naturales vertunt in terram aperta herbæ ora, ut fæcundum hujus Fontis bibant rorem. Et hæc ſi parva videntur, altiſſimam ſpectate Quercum, quæ duram inclinat cervicem, ut capulari arida ſenio ſentiat vigorem. Voluit quidem cara poſteritas Cedris notata habuiſſe SIMONIS miracula, ſed quia has à finibus Noſtris excluſit naturæ ordo, quercu illa cujus annorum expectatio centum adnotavit. Sed lento miracula SIMONIS procedite paſſu, nam dum Vos ſuperior facultas deprehendet, virtuoſo crimine condemnabit. Et ita factum eſt; dulces Nominis JESV profert ſuſurros, impoſitum paſtorali pedo Silentium veneratur. Jam ne loquacibus aſſvetus fluctibus FONS D. dulcedinem Tuam amiſiſti? Jamne altæ Vavelli Coronæ Tuis Sapientis doctrinæ fluentis ponent metam & coronidem? minimè; aggreditur ipſi cælo Vicinam Cathedram, ut clarius Nomen JESV prædicet proclametq́; ubi lachrymis emendicatâ licentiâ omni purior Cryſtallo, dum profert Dulciſſimum Salvatoris Nomen, omnes mortales ad hauriendam tantam dulcedinem traxit. Sed non omnibus illam è propinquo propinantem adverto, dum mulieres à parva converſatione repellit. Et bene: ne patente in ipſo nomine limo maculent FONTEM D. Blandientes certè ſcivit viperas, aut venenoſos colubros, qui antequam biberint FONTEM evomunt venena. Nec videndam ulli ad clauſtrum venienti monſtrat fa[illegible]m, metuens; ne ſi hæc turpis Megera vidiſſet puriſſimū FO[illegible] ut ſpeculum, illum turbida perturbaret. Tandem [illegible] mido radicali, quod nimius exhauſerat Seraphicu[illegible] ius morti in nuda ſiccari petit humo. Immo [illegible] ri expoſcit Corpus, ut ad Divina accedentes Fon[illegible] r. Contra tuam

C inten-

intentionem fient hæc: membra pedibus quæ Tu calçare jubes, manibus tangere non licebit. Tam gravi conturbatum morbo invadit Dæmonis altutia, & forsan in turbido piscari volens, parum piscium illum sumpsisse dicit. Procul hinc cum retibus Dæmon, FONTEM scias non pelagũ, hos illi nonnisi inesse pisces, qui vivi FONTIS probant statum. Hinc jam D. FONTEM in cælestem Eridanum credite transmutatum, qui cælo Gratissimus Amnis Sepulchralem mærori Sarmatico tulit lapidem. Assurge in spes & Vires meliores langvida Polonia, en scaturientem profusissimo in Te alveo habes FONTEM, qui ultro in cælestem transfertur globum, ut profusiores gratiarum Tibi faciat influxus. Iam in diluvio hujus FONTIS hostilis Argo naufragium patietur. Si belli ardores times? fortissimum ab illo spera refrigerium, qui cùm sit in Tui amorem effusissimus, ad suas undas publicæ felicitatis tenet portum. Verbo: ut tibi victrices succrescant laurus, istius FONTIS rivulis irrigantur. Sed hæc Martis excludunt æstum, & Solis ardores quis temperabit? Adest hîc puteus SIMONIS manibus efformatus, cui quis negabit refrigerium & medelam? Procul hinc Galeni Medicinæ, Æsculapiorum receptæ, quæ sæpius auferunt, quàm dant vitam. Testem apello Cracoviam, quantum hinc sentire consvevit levamen in doloribus, dum tot febres ex æstu Solis provenientes, etiam hoc anno mitigavit. Huc sitim nimiam patientes & famem; huc in Solis existentes ardoribus, quos crudelis Bellonæ manus, ex proprijs eduxit laribus sub liberum Iovem, hîc vobis refrigerium & pristina salus, immo Toti Sarmatiæ in æstu Martis & Solis existenti propinatur.

Tuam ex hoc FONTE Scaturientem adverto laudem Sacra Seraphici Patris Religio, in cujus augem calamis evolare, idem est, quod ceratis ope Dædalea niti pennis. Satis apprehendere Pauperis Patris FRANCISCI, vos divites esse filios, nam quidquid Specialioris Honor habuit, id totũ manibus Vestris dedit, & in illis nullum detrimentum timet, nam sigillô salutis munitas intuetur. Hîc enim summa Triregnia, Cardinales murices, Episcopales Infulas reposuit. Et certè omnem suum splendorem in Vestrum tribueret ornamentum, si fugientem modestiam Vestram assequeretur. Iamq; militans Ecclesia Hæreticorum quassata minis, non levem jacturam pateretur, si illam in subtilibus Scotis, Seraphicæ velut fulcrum fortissimum non sustentarent dextræ. Crucem signant, sed hanc quâ Adversa[illegible] in perniciem à subtilitate Vestra convicti dispon[illegible]onsidero, jam Vos in pedibus ad cælum gradum f[illegible]ens & syderea structura, vix aliquam non ferret[illegible] FRANCISCO levaretur. Quare crescant in i[illegible]avitæ palmæ, & à Divinissimo SIMONE [illegible]EM in æstu scaturientem esse